



INDEX OBSERVATIONUM AD SACRAS CONCIOSAS.

Unico utimur numero numerum marginalem indigitante,
PRO ADVENTU, ET QUADRAGESIMA.

Pro Dominica I. Adventus.

- E** runt signa in sole, & luna etc. Luc. 21. Et in caelo, & in terra extremi iudicii signa, necnon Christi cum maiestate iudicaturi multa praebunt. Quod in ipso sacrae Paginae vestibulo Moyses iam olim ad nostram eruditionem scribo praedixerat Gen. 1. 1. In principio (in Christo, & ex Hebræo, in felle, & amaritudine) creavit Deus [Heb. *Judices*] caelum, & terram, n. 925. 2422. In primo Orbis die diem iudicii extremum representavit Deus, quasi ex tunc citaret nos ad examen. Et quia Christus tunc castigabit acerbe, dicitur in felle, & amaritudine Mundum creasse. Vel cum Gregorio dixeris Homil. 32. Ergo praesentis temporis ita agenda est letitia, ut nunquam amaritudine sequenti iudicii recedat a memoria.
2. Rursum in eo primo saeculorum die Deus dicitur creasse lucem, & divisisse lucem a tenebris. Ubi magni, & nominatissimi Patres per lucem Angelos intelligunt, n. 912. & 202. Per divisionem vero lucis a tenebris, divisionem a supremo Iudice factam inter bonos ad beatitudinem, & malos ad gehennam, interpretantur. Unum videtur Rupertum lib. 9. de *Operi. Spirit. sancti. c. 2.* cuius haec signatim verba premas: *Respicimus ad illum diem, & consideramus admirandam operum Dei dispositionem, qui quasi aditum terribilem posuit timorem ad custodiendam introitum, & exitum Scripturae, sive operum futurum: ut quisquis ad cognoscendum Deum ingreditur, & in introitu inveniat, eum valde timeat, & in exitu audivit, eum maxime contremiscat.* Lege Tertull. 2. contra Marcion. c. 12. & c. 13.
3. Erunt signa etc. Signa haec evidentiis exprimuntur Matt. 24. 9. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae cadent de caelo. Quid hoc, quæso? S. Chrysostomus: Priore spoliata amictu, ut portioris lucis ante in potiantur. Vel ipse inanimes creaturæ innovantur ad tremendi iudicii conspectum. Quidni homo faciat in iudicio sistendus? Veterem deponamus hominem, & novo induamur, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate, n. 703. Atque hic egregium premas locum ex 2. Petri 3. à v. 10. ubi ex caelorum, terraque revocatione nostram infert.
4. Erunt signa etc. Lætissimum, pacatissimumque corporati Verbi adventum Ecclesia concelebrat, & tamen tot tristitiae, & perturbationis signa nobis objicit in primis? Certè signa haec, signa esse Antichristi adventuri, Eusebius Emilianus arbitrat Homil. 2. de tempore: *Sicut enim Christi natiuitatem pax, & exultatio praecessit, cantantibus Angelis; ita & hunc perditionis filium lites, & contentiones, dissensiones, irremotus, pestilentia, & fame, & alia terrores signa praecedent.* O, vide quid inter Christum, & Antichristum, quid inter primum utriusque adventum, discriminis appareat. Hic totus discordiarum malignitati intentus; ille pacis & concordiae studiosissimus. Nam ubi alta pax floret, ubi divina Christi potestas, & Regia splendet maiestas, à n. 1415. Et expende pro hoc mitissimum adventu spectum Eliæ, num. 362. Et quomodo Christus una armatus concordia, sanctus sit hominum incantator, n. 366.
5. Erunt signa etc. Mundialia omnia fustentantur, ut edificamus illa contemneret, & caelestibus studere perpetuo duraueris; sic enim caelestes erimus eternandi à n. 1115. Ut caelestis sis, extremi iudicii diem praeculis habe: *Notis*
- autem conversatio in caelis est. Vide *Salvatorem expectamus* etc. ad Philip. 3. 20.
6. Et videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. De more suo Deus, ut supremum dominium, & maiestatem ostendat, in nube apparebit, quasi Regio in throno. Unde Chrysostomus: *Semper Deus in nube apparuit, & Filius hominis in nube venit ut Deus, & Dominus, non latenter, sed in gloria digna Deo.* Quod refertur columnam illam [sive Regium solium ignis & nubis] Hebræos per desertum ductantem; de qua à n. 1065. fuse & accuratè: & observa magni Gregorii verba Homil. 21. in Evang. In die columna nubis monstrata est, & in nocte columna ignis, quia Deus in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinem blandè iustos demulcebit, peccatores autem per iustitiam distributionem terret.
7. Cum potestate magna, & maiestate. Amplissimi Christi Dominatus caelum & terram, Angelos & homines complectens, gloriosè demonstrabitur, rebellibus ac superbentibus conculcatis, à n. 1171.
8. Tunc videbunt Filium hominis: Illud videbunt tam fideles, quam infideles [ait Theophylactus;] radiabit enim amplius sole tam ipse, quam Crux ejus; unde ab omnibus cognoscetur. Ubi verba Abac. 3. 4. ad rem expendas, n. 927. 967. 2276.
9. Tunc videbunt etc. In potestate, & maiestate visuri sunt [inquit S. Gregorius] quem in humilitate positum audire noluerunt. Reprobis dum viventes Christum non audierunt, nec illum viderunt, atque adeo à via veritatis aberant; secus praedestinati. Ergo sit nobis Christus unica meta, & praecipuus scopus, in quem collimet nostra oculorum, ac mentis acies, ne deeret, à n. 38.
10. His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Ad electorum solatium haec dicit, dum contra impios intonat: *Difcedite à me maledicti in ignem aeternum.* Quid hoc? Impii in puncto ad inferna descendunt, quia in terra puncto, cum viverent, volebantur perpetua capitis vertigine, terrena quærentes, quin caput ad caelestia levarent; electi verò, calcatis mundialibus, & erectis ad caelum capitibus, aeterna respiciebant, & quærebant perpetuo ambitus ideo respicere, & levare capita monentur, ut quæ inquietant, tandem inveniant, nempe consummatam redemptionem, seu perpetuam libertatem corporis, & animæ, ut Theophyl. explicat: vide dicta à num. 1160.

Pro Dominica II. Adventus.

1. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, Matt. 11. In tetrum carcere, inter improbos hominiones, Joannem virtutum florem, & sanctitatis magistrum detrium cernimus. Num ex inhonoratissimo loco tantus ille vir inhonoratus? Neutiquam: Quia non tam viris locus, quam viri locus splendorem conciliare debent, à n. 17. ulque ad 26.
2. Joannes in vinculis: Quam ob causam? Quia pudicitiae cultor egregius libidinosa Herodis vitam animosè objurgabat Marc. 6. 18. Subinde quem Herodes, & Herodias à se deivicum putabant, victorem proclames gloriosissimum: Semper enim pura sanctitas, & sancta puritas palmam tulit vel contra potentissimos quoque hostes, à n. 1959.
3. Joannes

3. Joannes in vinculis. Quorsum? ut ibi, ob castitatis amorem, variè divexetur, atque atrocissimam subeat mortem, & sic tandem pereat. Sed minime quidem; nam ea est castitatis praestantia, ut suos ipsa cultores deificet, & immortales, & incorruptibiles reddens, à n. 1944.
4. Cum audisset opera Christi. Miris operibus docuit Mundi Magister Christianam fidem; quippe fides sine operibus mortua est, n. 2239. Est quia prima Lex est, ac bene operandi norma, n. 2243. Et morum exemplar absolutissimum, n. 8.
5. Mittens duos de discipulis suis. Binos mittit discipulos, concordēs nempe, ut per concordiam multiplicentur singuli, & eorum aures, oculi, & manus: quod est charitatis ingenium supra naturæ vires, n. 201. 202. 1917.
6. Mittens duos de discipulis. Ad Christum eos mittit, ut in eum tanquam in unicum metam, & praecipuum scopum Prophetarum, & creaturarum omnium colliment, ne aberrerent, à n. 38. & 27.
7. Mittens duos etc. Ubi Gloria; Lex ad gratiam Evangelii mittitur, ut Hilarius loquitur: *Joannes forma legis clara est.* Cedit novæ legi lex vetus, luna soli, figura veritatis, Legislator Moyses Legislatori Christo, n. 27. & à n. 2263. ulque ad 2373.
8. Mittens duos de discipulis suis. Rectè ad hæc verba S. Hieron. Epist. ad Galatiam: *Mittebat discipulos; ut doceret illum esse sectandum, quem interrogatio sua Magistrum omnium facebatur.* Ecce quam ob causam Joannes ex sua ad Christi scholam discipulos mittit. Jesus enim, Incarnati Dei Sapiencia unus in una Angelorum, & hominum schola, Doctores eximius, supremique Magister, à num. 116.
9. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Quid hoc est Joannes? Annè dubitas, num is Messias extet in Lege promissus? Nequaquam, cum illum vel ab utero materno agnovit, adoraverit, & exultatione demonstraverit, nec non quasi Dei Agnum in Cruce pro Mundi redemptione mactandum indigitaverit; & ad Iordanis ripas baptizaverit, interim personante aeterni Genitoris voce: *Hic est Filius meus dilectus.* Cur ergo nunc Messiam quaerit? Respondet Chrysostomus: *Quæ iam erat obtinuit, amplius futurum facit.* is enim est, & ea caelestia bona sunt, ut quando avidius de illis hauserimus, tunc plus haurire desideremus, à n. 2222.
10. Tu es, qui venturus es? Sciebat jam adesse, & an sit venturus interrogat? Respondet Gregorius Homil. 1. in Ezechie: *In terris venisse Redemptorem noverat, sed an per emetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat.* Minime dubitandum de descensu Christi ad inferos; de quo habet egregium vaticinium, n. 2376.
11. Euntes renunciate Joanni qui auditus est, & vidistis. Multa vidisse scio, quæ verò audierint nescio; cum non ore, sed operibus miraculosi Christi responderit, cæcos illuminans, claudos curans, & mundans leprosos. Nihilominus Auctor Imperfecti apud Barradas tom. 2. lib. 8. c. 8. putat, Christi panegyricas tunc exitisse curatos ab ipso, & ejectos è corporibus dæmones, imò Apostolos ipsos. Certè Christi magnalia admiratione, & stupore omnium celebranda, n. 108.
12. Renunciate quæ audistis, & vidistis. Opere responderit, non ore; nam Christi opera clariore sunt locutiones, & magis honoræ, n. 292. Rursus, dum sese corporatum Verbum humanis oculis vendendum objecit, auribus quoque percipiendum dedit: est enim aeterni Patris vox interna, quæ per Incarnationem, formam vocis assumpsit sensibus perviam, à n. 331. Imò vox harmonica est, & musicus concentus humanis auribus jucundè contemperatus, à n. 360.
13. Cæci vident, claudis ambulat, surdi audunt. Quod Isaias praedixerat pro indubio adstantis Messie argumento, n. 930. A beneficentiæ operibus voluit Christus agnosci verus Messias: nam ad Dei bonitatem spectat bona sua in creaturas profundero. n. 1041. Vnde Dei bona, quæ tibi soli serviunt, nec aliis communicantur, nulla cenentur, à n. 1041.
14. Cæci vident etc. Sublimiori sensu hæc sapienda de Evangelica doctrina, qua Christus solis instat, cæcos alioquin homines, surdos, claudos, & mortuos illuminat, à n. 2378.
15. Pauperes evangelizantur: id est: Evangelii lætissimum nuncium recipiunt, juxta illud Isaiæ 61. ex 1. xx. translatione: *Ad evangelizandum pauperibus misit me.* Unde Hieronymus: *Pauperes evangelizatos intellige opibus pauperes.* Sed cur non dixit: *Pauperes ditantur,* ut ita hæc, sicut & cæteris, de quibus egerat, simile ferret opem, qua indigebant? Porro pauperes oportune dixit mirum in modum ditatos, dum evangelizati dicuntur: est enim Evangelica doctrina aurifera, & gemmifera, qua totus locupletatur Orbis, à n. 2302. Unde Concionatoris os, thesaurus sapientiæ debet esse, quod nihil non pretiosum emanet, à n. 852.
- P. Ildoph. de Flores in Eccles.
16. Pauperes evangelizantur. Grandia miracula proposuerat, quibus se verum Messiam indubiè demonstrabat, ac deinde, quasi miraculorum clausulam, subijcit quòd pauperes evangelizentur. Quid hoc? Existimaverim, inter grandiora Evangelicæ legis miracula ponendum quòd gratis Evangelium annuncietur pauperibus, à quibus nihil mercedis Concionatores expectent, num. 1893.
17. Pauperes evangelizantur. Inde probat se esse Messiam: Christi enim prædicatio, per quam hominibus suam communicavit sapientiam, illum Dei Filium demonstrabat, n. 2423. Per similem sapientiæ communicationem, Deum pro simili æmulatur, n. 2424.
18. Pauperes evangelizantur. Pauper æque ac dives evangelizatur: *Ut nulla* (Hieron. ait) *inter nobiles, & ignobiles, inter divites, & egenos in prædicatione distantia sit.* Quippe Superiorum bonitas non debet esse paritaria, sed æqualem se omnibus exhibere, à n. 1352.
19. Illis autem abentibus, cepit Jesus dicere ad turbas de Joanne etc. Joannes in tenebroso carcere detentus mirè dilaudatur à Christo, mille illustratur encomiis: A bonâ quippe lingua nescit aliquid profici, quod alios obsecret, sed quod illuminet omnes, à n. 1035.
- Pro Dominica III. Adventus.
1. Miserunt Judæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Levitas ad Joannem. Ioan. 1. Quorum ad Joannem, & non ad Christum potius, hanc instituerint legationem, sacri addubitant Interpretes. Ab aereo Chrysolomi ore responsum accipite: *Indignum enim existimabant subiciam Christo, propter multa, quæ Joannis claritatem demonstrabant; quorum primus erat genus illustre; Principis enim Sacerdotum filius erat. In Christo autem contrarium videbatur, genus humile, quod ei exprobrabant, dicentes: Nonne hic est filius fabri? O stultissimi homines! Quis, ut Christus, splendidiore genere satus? De caelo per generationem divinam trahit ille generosioris profapiam; & ut homo est, non nisi ex nobilioribus Parentibus nasci voluit: de quo num. 861. & à n. 1257. n. 1280. & 1286. Nam laudabilis valdè, magno pretio, & loco habenda nobilitas innata, & perantiqua, nisi vitii foedetur, à n. 859.*
2. Miserunt Judæi etc. Baronius in suis Annalibus putat, à magnifico Seniorum Concilio, quod Synedrion appellabant, missos fuisse hos Sacerdotes & Levitas. Etenim cum alioquin essent Legisperiti, nihil eis profuit sapientia, ut expectatissimum Messiam agnoscerent; nam illis deerat sanctitas ipsa, quæ sapientiæ est anima, sine qua inanis, & emortua est quæcumque sapientia, à n. 270.
3. Miserunt Judæi ad Joannem. Bene hic Origenes: *Joannem quarunt cum tanta veneratione; erga Christum autem nihil hujusmodi factum legitur à Judæis.* Sed quod erga Joannem tantè, hoc Joannes erga Christum præsequitur. Quæcudè aberrant miserè iudæi, Joannes sine errore quaerit, videt, & invenit. Sit ergo nobis Christus uni ca meta, & praecipuus scopus, in quem collimet nostra omnis oculorum, & mentis acies, ne aberremus, à n. 38.
4. Et confessus est, & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Oblatum Divinitatis saltigium non arripit Joannes, ut olim Adamus, sed in solido veritatis perlat, in quo firmatus, & confirmatus est ab utero materno; utique per Deiparae præsentiam. Vt enim S. Cyrillus in Thesouro: *Si Joannes in horto Parradiisi cum serpente congressus disceptasset, non induceretur ad vescentium de ligno vitæ, etiamsi audiret illud: Eritis sicut Dei, n. 2113.*
5. Confessus est, quia non sum ego Christus. Si summam Messie dignitatem admitteret, ipsa ille esset inanitas, & vacuitas, nihil esset: dum verò eam rejicit à se, & suam agnoscit conditionem, consummatus homo in plenitudine sanctitatis apparet. Nam Sanctorum plenitudo est ipsorum perfectio, & virtutes animæ internæ, sine quibus homines inanis sunt vacuitas, à n. 1599.
6. Et confessus est, & non negavit. Vbi Gregorius: *Negavit quod non erat, sed non negavit quod erat, ut veritatem loquens, ejus membrum fieret, cuius sibi nomen fallaciter non præpareret.* Dum se honoribus negat Christi, Eliæ, & Prophete, seque vocem appellat quasi sonum, quasi aerem rem vilissimam, major se ipso assurgit per humilitatem, quæ antonomastice virtus Christi est, n. 1186. Et per quam ad summam devenitur exaltationem, n. 1785.
7. Elias es tu? Et dixit: Non sum etc. Et Eliam, & Prophetam se esse negat, cum ille à Christo gloriosus & Eliæ, & Prophete, & plusquam Propheta titulis fuerit honoratus. Quid hoc? Quia perfectus homo, totus interior debet esse, cordis homo, qui Deum habeat interne gloriæ inspectorem, & laudatorem, à n. 867.
8. Ego vox clamantis in deserto. O quot Joannis elogium hisce verbis arcane continentur! se se vocem nominat, non clamantem, sed clamantis, æterni nempe Genitoris,
- d 3 ut

ut Augustinus explicat serm. 20. de Sanctis: Omnipotens Pater volens innotescere nobis Verbum illud, quod in principio erat Deus apud Deum, B. Joannem quasi vocem, per quam ad nos Verbum suum proferret, assumptis, is ergo Joannes est, ut illius electio quasi quoddam Dominicę Incarnationis mysterium extiterit; nam sicut internum verbum formam vocis assumendo manifestatur, ita Deus Pater carne suum Filium induens, pervium illum humanis sensibus fecit, à n. 331.

9. *Vox clamantis*, Christi nimirum, cuius omnis vita [ait Rupertus lib. 2. de Gloria Filii hom. c. 2.] *omne tempus quo hic in carne degit, clamor, sive inclamatio fuit.* Ut enim corporatum Dei Verbum index extet, & imago Paternę sapientię, & bonitatis, ita Joannes similiter, quám sit sapiens Christus ipse, quamque bonus, perspiciat monstrat, ut vox illius, à n. 306 & vide *Vox, & Verbum.*

10. *Vox clamantis*, Christi videlicet [inquit Origenes] qui *stabat, & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me.* Eo enim spectat Joannes, quantus ille est, ut ostendat omnem vehementer exoptet Christus Dominus nostram omnium salutem, salutem incrementum, & perennitatem, à n. 2172.

11. *Vox clamantis*, Augustinus serm. 20. de Sanctis: *Ut Mundo ignorantia nocte possessio lumen salutis ostenderet, de seipso dicens: Ego vox clamantis in deserto. Quid commune habet vox clamantis cum luce illuminante? n. 915, & 935. Atqui nescit à bona lingua aliquid proficisci, quod alios obscuret, sed quod illuminet univerfos, à n. 1035.*

12. *Vox clamantis*, Glossa in c. 1. Joana. *Non dicit, Ego sum homo, vel Joannes, vel filius Zacharię: non considerat humanam substantiam, vel generationem; sed ultra hac omnia exaltatus præcur sor Verbi, deserit omnia, que intra Mundum continentur, ascendit in altum factus vox Verbi: nullam in se substantiam fatetur præter abundantiam gratię, qua excedit omnem creaturam, ut sit vox Verbi. Ea est enim iustorum conditio, ut gyrum rerum coelestium ambiant, dum impij in terrenarum rerum puncto perpetua vertigine agitantur, & errant, à n. 1160. Quod videtur spectasse Joannes, dum subtexit: *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas eius.* Præterea, coelum erisit à te ipso, & terrę contubernio longè sejungaris, coelestia quærens, à n. 1155.*

13. *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Christus ex Paterno, Maternoque corde procedens, in nobis non nisi cor amat [quod medium corporis locum tenet] in corde quiescit, ac retinetur, à n. 892. Vide *Cor.*

14. *Medius autem vestrum est.* Medius sit Christus ut bonus Gubernator, Princeps, & Pastor æqualiter omnibus consulens: Nam ea debet esse boni Gubernatoris bonitas, ut æqualiter se omnibus medium coeli locum tenentis, barbaras quasque nationes illuminat doctrinæ luce, à n. 2378.

15. *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Ad quę verba Theodoretus in Catena S. Thom. *In quantum in Scripturis præveniabat Dominus, medius eorum erat, scilicet in cordibus eorum; sed nesciebant eum, eo quod Scripturę non intelligebant.* Rectè quidem, quia sacra Scriptura est quasi rota in medio rotę, & cor iphus Dei est, unde spiraculum vocat, n. 2258. Et sicut ex genis, seu facie quilibet cognoscitur, sic ex sacris literis Christus, n. 2314. Præsignata divina Scriptura, Christum demonstrat, in Joseph manipulo medium tenente locum inter reliquos manipulos illum odorantes. 27. Verè illi Scripturas non intelligebant, quia Christum ignorabant, qui finis est, & precipuus illarum scopus, n. 27. Vide *Scriptura.* Et cur non verè sapientiã destituerent, cum ad illam adipiscendam & luctamine multo, & multa opus nobis sit deprecatione, à n. 1363.

Pro Dominica IV. Adventus.

2. *Anno quindicesimo etc.* Luc. 2. l. Quorsum, cum de Evangelicę prædicationis initio acturus Evangelista esset, Tyberii Cæsaris, & Pontii Pilati ex Gentilismo, necnon aliorum Principum Hebręorum meminit? Respondet Gregorius Homil. 20. *Quia illum [Joannes] prædicare veniebat, qui ex Juda a quosdam, & multos ex Gentibus redempturus erat.* Ad hoc enim Christus in terris natus, ut solis instar barbaras quasque, ac distitas nationes illuminaret Christianæ doctrinæ luce, à n. 2378. Deinde ut doceret, optimi Principis bonitatem æqualiter esse omnibus exhibendam, à n. 1352.

3. *Anno quindicesimo etc.* Ostendit rursus, juxta Gregorii præjacta verba, quam vehementer exoptet Christus D. omnium salutem, à n. 2172. & n. 2182.

4. *Anno quindicesimo etc.* Romani Imperij unio, Regni Judaici partitio, & Levitici Sacerdotij divisio describuntur. Ex quibus colligitur [ait S. Bonav.] *opportunitas temporis in Præcursoris prædicatione: Quia illum annunciabat,*

qui Synagogam Judæorum dispersebat, & Gentium varietates in unitatem Ecclesię congregabat. Caritas enim, pelfundata idololatria, & sepulcra cum honore Synagoga, Ecclesię suę Regnum latissime amplificavit, à n. 2032.

4. *Anno quindicesimo etc.* Ubi S. Bonavent. *Ita tempus advenit, ut Christus adveniret, juxta illud Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda etc.* De vera hujus vaticinium intelligentia, de Ducum, ac Regum Iuda continuata serie usque ad Virginem Matrem, ejusque Filium, vide à n. 448, usque ad 458.

5. *Anno quindicesimo etc.* Rectè S. Gregor. *Quia Joannes illum prædicavit, qui simul Rex, & Sacerdos existeret, Lucas Evangelista prædicationis eju tempora non solum per Regnum, sed etiam per Sacerdotium designavit.* Ut hæc diversimodè illustret, vide in indice verborum Christus ut Rex, & Aaron.

6. *Factum est verbum Domini super Joannem.* An non similibus verbis æterni Verbi Incarnatio ab Evangelista Joanne celebratur? Et *verbum caro factum est.* Certè si Ruperto applaudas lib. 2. de Glor. Filii homin. c. 2. *Quod aliud verbum Domini factum fuerat super Joannem, nisi ipsum quod caro factum fuerat? Ergone iterum factum æterni Patris Verbum super Joannem simili ratione, qua in Deipara Matre? Planè id Lucas innuit in Evangelicę doctrinæ commendationem; cujus ea est præstantia, ut æterni, & corporati Verbi naturam, & attributa æmuletur, à n. 2324. Vide *Verbum, & Evangelium.**

7. *Factum est verbum Domini.* Bene hic Ambrosius: *Congregaturus Ecclesiã Dei Filium, ante operatur in servulo: Et ideò bene dicitur: Factum est verbum Domini super Joannem: ut Ecclesiã non ab homine capiat, sed à Verbo. Est enim Christiana Ecclesiã, non hominis, sed æterni Verbi inventum; non humana, sed divina fructura; cujus rudis delineatio vetus extitit Synagoga, à n. 1432. & 1242. Vide Ecclesiã, & Christus ut suam respicit Ecclesiã.*

8. *Factum est verbum Domini super Joannem.* Ut argute hic observat Ambrosius, hoc compendio usus est Evangelista, quo Joannem, declararet Prophetam, cum Matheus, & Marcus & vestitus, & cinctus, & cibo Prophetam declarare voluerunt: *Cur verò ita? Quia nullus eget indicio sui, qui verbo Dei abundat, unum itaque dicens, omnia declaravit Satis igitur fuit dicere, factum esse verbum Domini super Joannem, ut quantus ille esset, quamque divinitatis æmulus, manifestaretur: Dei enim verbo deificamur, n. 2333. Rursus, per verbum Evangelicum, quo abundè Joannes imbutus est, strenuus, fortis, ac belli potens fuit: Est enim Christi doctrina, non imbellis, sed bellatrix, non infirma, sed fortis, n. 2292.*

9. *Zacharię filium.* Nobilissimū Parentis Lucas meminit, cujus jam antea meminerat, ut etiam præclarissimæ Matris Elisabethę c. 1. ut sic Joannis nobilitatem commendet à nobilissimis Genitoribus. Quippe laudabilis valde est, magno in pretio, & loco habenda nobilitas innata, ea qua sublimes emergunt spiritus ad opera magnifica, à n. 859. Vide *Nobilitas.*

10. *In deserto.* Oportunè Ambrosius: *Desertum est ipsa Ecclesiã, quia plures filii deserta magis quàm ejus que habuit videri. Factum est ergo verbum Domini, ut qua erat antea deserta, fructum nobis terra generaret. Quid hoc? Quid aliud nisi quod ab exundante Christi doctrinã insecundæ Gentilitatis regiones in terram uberem, floridam, & amoenam converte lunt, à n. 2308.*

11. *Et venit in omnem regionem Iordanis.* Ubi Origenes Homil. 21. *Iordanis idem est, quod descendens; descendit enim Dei fluvius, aqua salubris. Apposuit Jordani fluvio Christus assimilatur, & quare; à n. 475. Necnon ejus Evangelicę doctrinã, à n. 2280.*

12. *Prædicans Baptismum penitentię in remissionem peccatorum.* id est, in Baptismum Christi, in quo remissio. Est enim Ecclesię Baptismus fons Dei viventis, & videns, ubi novam vitam, & clarum lucem accipimus, n. 1463. Vide *Baptismus.*

13. *Vox clamantis in deserto.* Ubi S. Bonavent. *Vox clamantis, quia excitat dormientes, ut ad lucem evigilent. Hæc est vox, de qua in Psal. 28. Vox Domini super aquas, Deus Majestatis intonuit etc.* Apparet nempe Christus in Joanne Angelus fortis, quo rugiente, leonis instar, septem personere voces, seu tonitrua, à n. 2295.

14. *Vox clamantis.* Addit S. Bonavent. *Vox est expressiva verbi. Unde propheta aliorum fuerunt quasi nutus respectu Christi, sed Joannis fuit quasi vox respectu Verbi, quia ipsum visibiliter ostendit. Quod expendo, n. 337.*

15. *Parate viam Domini.* Origenes: *In corde nostro via præparanda est Domino; magnum enim est cor hominis, & spatiosum. Rectè, quia Christus ex Paterno, Maternoque corde procedens, in nobis non nisi cor amat, in corde quiescit, & retinetur, à n. 892. Vide Cor.*

16. *Omnis*

16. *Omnis mons, & collis humiliabitur.* Per montes, & colles humiliandos tum superbos homines, tum etiam demones superbissimos intelligunt Ecclesię Doctores. Ut ostendatur amplissimum Christi dominatus, cœlum & terram, Angelos & homines complectens, rebelles, ac superbientes conculcans, & subjiciens, à n. 1171. Et rursus ut appareret, Christum Regem nuncupari, & quidem fortissimum, ob debellacum infernum, ob abolitum peccatum, & acquisitam Plebem sanctam, fidelem, justam, à n. 2273. Et preme locum Z. charie: *Quis tu mons magne coram Zorobabele? in plurim de quo latè à n. 2333.*

17. *Et erunt præva in directã.* Nam præva errare, insanire, & circum agitari faciunt homines, à n. 1160. Ut verò errores contemnant, & coelestium rerum circulum ambiant, sit homo Deus, n. 1164.

18. *Et videbitis omnis caro Salutare Dei.* Mutuata hæc verba sunt ab Isaia c. 40. 5. de quibus, n. 336. Certè à Christo visio dicuntur homines pulchrè videntes, n. 41. Et quidem propterea ille humanita te nostra indutus apparuit, ut nobis sit unica meta, & præcipuus scopus, in quem collimemus, ne aberremus, à num. 38. Vidit omnis caro quem antequam Vates prævidebant, & videre desiderabant, à num. 27.

Pro Quadragesima.

In præcunte quadragesimã Horarum solemnitate.

Concio I.

1. *Ecce ascendimus Terofolymam.* Luc. 18. Arcano utique consilio pro hoc triduum proponit nobis Mater Ecclesiã cruciamentã, & probra, quę Christus D. subiit usque ad crucis mortem ignominiosissimam. Tempètivè satis. Etenim nunquam magis stultelceret homines, atque insanire visi sunt, quam sub his Bacchanaliorum diebus: dominabantur enim inguives passim, comotationes, alect, luxuria, iracundia, ac detestabilia quęque. Pro quo vide à n. 2101. & Amos c. 2. 9. *Congregate super montes Samaria, & videte infanias multas in medio ejus.*

2. *Quid ergo remedi ad hæc extinguenda mala?* Certè cum stultus poëta ipsa reddat sapiens, quod Hispani dicimus: *El loo por la pena es tu rdo:* idcirco stultelcentibus hominibus poenę immanissimę, quas illi erant subituri, & Christum pro illis perpessus est, ob oculos proponuntur, ut sic non jam stulti sint, sed sapientes evadant. Vide quę de serpente aneo Christum crucifixum portentende deditus n. 39. Et preme verba Proverb. 2. v. 14. *Qui letantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* hanc postremam vocem extulit Hispanica translatio, *Transformamini:* & nos de rebus infaniam inferentibus dicimus: *Los transformo el lucio.* Vide nostrum ibi alazarium, qui aranęe cujusdam meminit, quę fit quem momorderit, ad saltandum, & tripudiandum impellit, quoad veni vis cor periyadat, atque tunc demum occidat. Quod in Israëlitis contigisse videtur morsis à serpente, & in Christiana præsertim Plebe Bacchanalia concelebrante. Christus igitur è cruce suspenfus est obijciat insipientibus, ut sanę menti restituatur nova hac medicandi scientia.

3. *Ecce ascendimus etc.* Quorsum amarissimæ Passionis commemoratio, quando per hos Bacchanaliorum dies augustissimum Eucharistia Sacramentum palam proponitur quo fieri potest exquisitissimo ornatu, lætissimã pompa, & varia musice dulcedine? Quia à Jesu patiente, & crucifixo, & sub Eucharistice speciebus delitescente omnis fluit dulcedo pluviam mellea, à n. 2183. Nihil memoria Passionis dulcius, n. 2196. Nihil Eucharistico Pane suavius, à n. 2189. Ubi expendas Isaia vaticinium c. 12. 3. & v. 6. num. 2797. 1877.

4. *Ecce ascendimus etc.* Vix suæ meminerat Passionis, cum ecce tibi cæcus quidam sedit scens viam mendicans, cui restituit Dominus amissi luminis claritatem corpoream, & Spiritualem præsertim. Quę hæc titriusque rei convenientia? Arcana planè nam à terebratis Christi in cruce manibus copia lucis emanat, n. 927. Et ab Eucharistia Sacramento [quod Passionis Dominicę exemplar est] de quo plura à n. 964.

5. *Cæcus quidem mendicans.* Ubi Ambrosius: *In hoc cæco typo populi gentilis est, qui Sacramento Dominico recepti amissi luminis claritatem.* Eleemosyna digna eo fuit hujus mendici illuminatio. Verè cæcus Mundus, & mendicans his signatis diebus, cum in humanis delictis veras voluptates reperire exambiat. Adest in Altaris Mensa Christus ut soli misericordię, & pietatis, munditię, & victorię, in cujus promicantibus pennis, sive luminosa

lingua, & imperiosa voce, cæcorum illuminatio, & iantras prælib est. De quo verba Malachię fusè illustrato habes, à n. 970. Et observa quod Evangelista de cæco illo notanter observat: *Stans autem in Jesus iussit illum adduci ad se: natu miraculum solis stantis ad triumphos, illustratur in Eucharistia, per hoc signatum 40. horarum continuatum spatium: duorum enim curriculo dierum iterit sollem Joie tempore, Augustinus vult, vel etiam ut Cartesianus sentit, quadraginta horarum spatio: de quo n. 978.*

6. *Et Jesus dixit ei: Respice.* Ubi Chryostomus: *Verritur vox Christi in lucem languentis; erat enim Verbum ver. lucis: unde sequitur; & confessum vidit.* De vocis, ac lucis adlociete, n. 915. Per illam Dei vocem cæcus lumen colorum accepit, per quam facta primigenia lux fuit, à n. 922. Est utique Dei Filius possessor lucis, quam in manu habet, n. 923. De indeficiente gratiæ lumine, peccatorum tenebras dispellente, vide à n. 932.

7. *Dixit ei: Respice; & confessum vidit.* Cum cæcus in tenebris esset, illuminatus à Christi voce est: nescit enim à bona lingua aliquid proficisci, quod alios obscuret, sed quod illuminet omnes, à n. 1035.

Concio II.

1. *Ecce ascendimus etc.* Cæcus quidam sedit etc. Huc spectat, pro nata occasione opportunissimè, Agnus Apocalypticus c. 5. 6. quem inprimis docto penicillo depingas tanquam occisum, plagatum, immolatum, pro Passionis ac mortis Dominicę festiva commemoratione; totum deinde oculatum, ut cæcis visum restituat, totum luminoso, ut ignorantie tenebras dispellat: septem cornibus armatum, ut inimicos eventilet: confertissima multitudinis stipatum; suaveolentibus aromatibus, lætissimis cantibus, & suavissimis citharis dilaudatum, n. 964. 967. Quatuor in hoc divinisimo Agno, pro totidem thesibus ad rem maximè, expendas: Christi nempe in Eucharistia Mensa mansuetudinem, amorem, fortitudinem, & sapientiam.

2. *Mansuetudo satis exprimitur Agni nomenclaturã: ut dum manufactus apparet, omnes ad se trahat.* Joan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei etc.* Quid subinde? *Audierunt duo discipuli loquentes em, & secuti sunt Jesum.* Ubi Chryloll. Hom. 17. *Cum de Christi generatione, & in humili rem sermone [nempe, ecce Agnus Dei] itac secuti sunt Discipuli.* Preme illud Cantic. 1. 1. *Osculetur me: oleum effusum: irabere me, post te curremus, n. 976. & vide Bernardum serm. 22. in Cantic. Propter mansuetudinem, qua in te prædicatur, curremus post te etc.* Expende quoque Olex verba c. 11. 4. *In sumculo Adam (in mansuetudine) traham eos, n. 90. Et Isaia 16. 1. ut habes n. 1799. & 1800.*

3. *Amorem ostendit, dum quasi occisus apparet, immolatus, sacrificatus: nam majorem hæc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Joan. 15. 13. Semel illum Christum in cruce posuit pro inimicis, læpessus in Eucharistico ponit sacrificio, ut omnes sui erga nos amoris divitias veluti effundat, dum ibi sanguis ejus effunditur, n. 974. 975. Quorsum id verò? Ut omnes ad se trahat vi amoris potentissima, num. 1967. 1987. 1128. 1384. 2084.

4. *Fortitudinem ostendit, dum cornua septem habere dicitur, quibus suos eventilet hostes, Ecclesiã in his præsertim diebus infensissimos.* Ubi Habac. verba preme c. 3. 4. *Splendor ejus ut lux erit: ut splendor primigenius, prima enim illa lux accidens fuit sine substantia, Eucharistia; typus, n. 964. 967. Addit: Cornua in manibus ejus etc. n. 117. 914. 927. 2276. 2381.* In nobis etiam hanc suam Dominus exerit fortitudinem, dum suo nos corpore, & sanguine obarmat contra animę hostes, à n. 744.

5. *Sapientiam denique manifestat, cum plenus describitur oculis, ut oculus cæcis, per hos præsertim dies, restituat hominibus enormiter delinquentibus, eosque tam oculata hac notione in officio contineat. Ided in Mana præfigurata Eucharistia, quod simile bdello dicitur, id est, oculo, quasi panis esset oculatus, & bona fortuna, non cæca, sed oculatissima, à n. 73. Et ideo sol, & luna appellatur, qui Mundi oculi sunt, ne Christiani Gentilibus applaudant, de S. Cyrill. Jerosolym. Cateches. 3. *Alis solem ponebant, ut occidente sole, sine Deo essent, alii verò lunam, ut in die Deum non haberent.* Vide loca ad rem, à n. 967.*

Concio III.

1. *Ad rem quoque maximè est locus Isaia egregius c. 21. v. 4. & 5. Babylon dilectã mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in secula. Comedentes, & bibentes sursum Principes.* Babylonis nomen indicat pristinam Baccha-